

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses  
Viator**

**Millieu, Antoine**

**Lugduni, 1636**

II. Satanæ & Magorum aduersaria consilia: Ægypti plagæ duæ primæ,  
Sanguis & Ranæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](#)



LIBER SECUNDVS.  
MAGI ET PLAGÆ  
DVÆ PRIORES MOYSIS,  
FORTVNA ET AGNITIO.

**E**ñ NARE I interea Regnator luidus  
antri,  
Qui mare perpetua terrasque indagine  
cingit

I  
Conciliū  
Satanæ.

Circumiens, tornisque oculis lata omnia limat;  
Sensit enim iussis hilares, & munere cœli  
Respirasse pios, nec spes prensare caducas;  
Id metuens, dirum iratis insibilat hydris,  
Conciliūque vocat Furiarum informe sub auras,  
Multus ubi iunci viror, & fluminalis arundo,  
Pubentesque toris inuitant mollibus herbae,  
Furnaque ferales conuentus protegit umbra.  
His solitus stabulare locis, & cogere cœtus  
Lucifugos, Thyassis pœnas lenire sequaces  
Si queat, aut lateri harentem diuellere flammam.

Iob 40.  
16.

Fllicet auditio concurrunt Tartara signo,  
Et nigra non tardis glomeratur curia laruis  
Horribiles visu rictus; commixta ferarum  
Ingenia, & sparsi confuso in sanguine mores.  
Vulpibus aptantur tigres; Sirenes hyænis:  
Virginei vultus hamantur brachia chelis,

Curia Sa-  
tanæ qua-  
lis.

Cruraque

## 46 MOYES VIATOR.

*Crurāque consertos squamis torquentur in angues.  
 Luxuriæ nexa est rabies, violentia fraudi;  
 Inuidia simulatus amor; pellacia letho:  
 In Superos hominésque doli, & furor omnibus idem:  
 Coniurata odia, & stimuliſ immanibus iræ;  
 Sed non par odiis, frendensque in vincla potestas;  
 Indignata premi flammis, & carcere caco.*

Satanae  
facies.

*Ipſe pater scelerum in mediis in Gorgone tota  
 Horrendus, quantoque solet sub nocte profunda  
 Tisiphonem quatere, & diras serpente forores,  
 Fusorumque super latera insultare gigantum.*

*Horrescunt furiæ, suadetque silentia terror.*

**Apoc. 13.** *Vix aperit fauces, & fumo undante voluta  
 Infandis furit in cœlos Blasphemia diris,  
 Obscenis cui torua scatent bufonibus ora,  
 Vibratique fremunt ab amaro pectore dentes.*

**2** *Nil agis, Arctoi soli ſauissime vindex,*  
**Rabies in Christi regnum.** *Nil agis: haud inuitus habe, quos cedo, Triones,  
 Algenteaque plagam Boreæ; mihi regna secundæ  
 Sortis, & infessum populosis mœnibus orbem.  
 Imperio frœnare placet, cœlique ruina  
 Crescere; dum nostris tuis undique transfuga signis  
 Additur: hic primas, quam cœlo habuisse secundas  
 Maluerim. Quà terra patet, quà tenditur ingens  
 Oceanus, mihi thure calent, & sanguine templa;  
 Et mea purpurei lambunt vestigia Reges,  
 Captiuæq; implent Stygia undique retia gentes.  
 Factu uno populos omnes, atque omnia mundi  
 Imperia implicui; quin hamo pensilis uno  
 Capta simul natura hominum mihi palpitat omnis,  
 Frustraque infixum cum pomo reiicit uncum.  
 Hebrei vix una domus te agnoscit apellæ,  
 Reliquia infausti generis, quas perdere certum est  
 Funditus,*

Funditus, & nostra in gurgustia trudere nassæ.  
 Hanc Pharaon mihi nauet opem, Stygiæq; sagene  
 fimolet, efficiam: magicas accingier artes  
 Tempus, & arma armis, monstrisque opponere monstra;  
 Fratribus & geminis, geminos committere fratres  
 Colchiaco insignes cantu, virgâque potentes  
 Circea irrupit Manes excire sepulcris,  
 Palantésque polo in barathrum deuoluere stellas.  
 Ergo agite, Orcini Proceres, ut cuique nocendi  
 Ingenium, & solers fraudum in certamina virtus,  
 Quod læsas deceat Furias decernite factis  
 Egregius: tota pariter pugnemus opum vi  
 Eruere hanc gentem, cœlique exscindere regnum;  
 Hoc res summa loco; redeunt hic omnia fati  
 Consilia, hinc pendent: nec habet fortuna regressum;  
 Si semel Hebraam licitum conuellere gentem.  
 Hoc volui in primo nascentis stamine mundi;  
 Hoc deinceps conatus idem; & constanter in ænum  
 Extendam iurata odia, & sine fœdere bellum:  
 Si nequeo vacuare polos, Phlegetonta replebo,  
 Et casus cumulabo mei in solatia casus.

Sic ait, & spumam emulgens serpentibus atris  
 Proiicit in turbam Furias, ultróque frementum.  
 Aggerat imidiam: diris ululatibus Orcus  
 Horruit, inque nouos Phlegeton ebulliit ignes.  
 Voluitur assensu murmur; ringuntur, hiántque,  
 Et rostris predam increpitant: cœn dira volantum  
 Agmina, qui longè lituos, pugnásque sequuti  
 Trans Scythicum Boream stragis nidore trahuntur,  
 Cede virūm, simul ac stravit Mauortia campum.  
 Tempestas, rubeisque undant arua impia riuis,  
 Incubat extemplo nigris exercitus alis  
 Luxurians partis epulis scelerata per arma,  
 Clangorēsque

Habac. 1.  
16.

3  
Libido  
nocendi.

## 48 MOYES VIATOR.

Clangorésque ciet, rostrisque immurmurat uncis.  
 Haud secus inferni exultant lactante rapina  
 Vulturij, belloque acuunt, & cladibus vngues.  
 Jamque Pharum inuadant Furiae, Geſemque procella  
 Mifuerint, terramque polo, niſi frana libido,  
 Ne quicquam luctata Deo, certosque nocendi  
 Acciperet fines; noxisque potentius vtens  
 Consilia in melius deflecteret improba Numen,  
 Vipereisque sacram panaceam exasperet extis.  
 Ecce autem obscurum volucres per inane Paredri  
 Improuisa virum important ſimulacra duorum,  
 Conuentique locant medio; noctem ingrauat horror,  
 Monſtrisque affuetas noua forma exterruit umbras;  
 Decessere loco Furiae, ſimul impia Iannes  
 Ora palam, Mambrisque tulit, confeſſaque vinci  
 Tartara Chuzais cedunt obnoxia pactis.  
 Rex ipſe aſſurgens folio capita improba mulcet  
 Atque ait. O Stygi potiora columna regni,  
 Macti animis, meritisque viri, quorum omnia Manes  
 Arbitria accincti explorant, & iuſſa capeſſunt.  
 Vos ingens dudum ambit honos, & purpura ſupplex,  
 Et Pharaonis opes, ſtudioſaque gratia Regum.  
 Vos ego venturis celebres producere ſæclis,  
 Mirificasque paro iam nunc clarare per artes:  
 Nam rem tempus agit. Procerum cingente corona  
 Hebreos Pharaeo fratres expectat in aula,  
 Quæ Superum mandata ferant, quæ fœdera poſcant.  
 Vnam Erebo date nunc operam: ſtate omnia contra  
 Consilia, & paribus monſtris eludite monſtra  
 Audentes, freti auxiliis & Numine noſtro.  
 Quod ſupereft, cuncta ipſe rega miracula dextra hac,  
 Et tumidi contrà Regis præcordia stringam,  
 Pectus ut inuicto præcinctum adāmante rigefcat;

Nec

4  
Iannes &  
Mabres,  
Magi ad-  
uerti.

Nec monstris, nec verberibus cor molliat ullis.

En famulae, celeresque manus, quibus omnia parent,

Nec spatia illa moras faciunt, aut corpora tardant:

Militia haec vestra omnis erit. Sic fatus utrunque

Cantatis donat radiis, & stigmate inurit.

Hic vero obscenam Iannes à fronte reducens

Canitiem, ostendit rugas, deraſaque menta,

Vulsa supercilia, & malas, narisque repandet

Rostrum ingens, & sulcati palearia colli,

Inuidiaque obliquam aciem: Telchinius intus

Liuor edit, pauitansque micat formidine pectus:

Eminet in vultu mala mens, atque obsidet ora,

In speciem quidquid simulent vaga gaudia frontis.

Cur hortaris, ait, queis una nocere voluptas,

Et Solem cœlo, & pacem conuellere terris,

Et vetus in chaos abrupto quatere ordine mundum?

Currimus iniussi; & stimulos currentibus addis?

Nequitiæ modus hic nobis superasse magistrum:

Nec dubium est, an plus poscas, an plura paremus?

Imus in Hebreos iussi, nec iusseris, imus.

Exosas cœlis animas addiximus Orco.

Quid supereft, nisi, quod facimus, facere ocyus? ergo

Aut ductor præuerte viam, aut sequere antevolantes.

Dixit, & infando ritu postica scelestus,

Horresco referens, Stygio tulit oscula capro;

Polluit os ritu Mambres incestus eodem.

Mox magicis equites virgis liquido aëre vecti

Anteuolant Euros agiles, & nubila findunt:

Quaque volant, pariter Furiarum millia circum-

Densa nube fremunt, scelerati exercitus Orci.

Qualia rupe caua crabronum examina fumo

Per latebras undante vapor turbauit, apertis

Funduntur specubus, stimulisque globantur amaris,

5  
Magorū  
nequitia,  
& mala  
mens.

6  
Inaugu-  
ratio ne-  
faria.

Crabro-  
num simi-  
les laruz.

D      Et

## 50 MOYES VIATOR.

Et Martem stridore crient, cæcique feruntur  
In pugnam, Solisque facem spizzo agmine condunt.  
Haud aliter Stygias agitant furor, iraque larvas.  
Et iam tecta super Paredri regalia pendent:  
Molliter adductis equites luctantur habenis,  
Acclives, lentique volant, aulæq; propinqui  
Desiliunt, solito Procerum sequे agmine miscent.

7  
Moses ad  
Pharaonē  
admissus.

Iamque introgressus Moses Pharaona superbo  
Effultum solio, postquam data copia fandi,  
Aloquitur: Pharij arrestis circum auribus adstant.  
Nec faciles orandi aditus, aut mollia captat  
Principia, aut pauitans lingua hastat, aut tremit  
artus:

Sed plenus presente Deo non molliter infit.

Rex Regum, Deus omnipotens, solennia sacra  
Isacidū indixit genti; nos illius ergo  
Ire iubet triduum Phariis procul omnibus agris,  
Extra urbes, finesque tuos, ubi libera solis  
Rellgio tranquilla locis altaria ponat,  
Ritibus & quos ipse Deus mandarit, adoret.  
Illijs hæc mandata tibi denuntio, coram  
Principibus, populoque tuo; patere ire solutos,  
Atque opera interrumpe parum; nil sanctius us-  
quam est

8  
Pharao  
iratus nū-  
tio.

Quam parere Deo, & iussis sacra soluere votis.

Iam solio propior Iannes afflarat Erinnyn,  
Et Regem insano saevis stimulabat asilo,  
Quo sibi iam tumidus male temperat, orsaque rumpit.

Quæ mihi sacra, malum! quæ tu solennia narras?  
Quis Deus iste autem? quanam hæc insueta Canopo  
Rellgio? quianam Isacis incognita templis?  
Non satis Aegypti patet in donaria tellus?  
Nec patrij genus omne Dj, quos magnus Osiris,

Quos

Quos Apis, quos ipse tholo dignatur Anubis,  
 Tōque locis posita venerantur odoribus aræ?  
 Tu mihi nescio quæ peregrina, ignotaque singas  
 Numinia, furtiuosque procul Marcotide cætus?  
 Pertentésque fugam diuina obtendere pompa?  
 Nec tuus iste Deus notus mihi; nec noua sacra;  
 Nec pensis operum Hebræos, nec compede soluam.  
 Nam Deus iste quis est? cui me summittere fasces  
 Imperij sic ipse iubes? His talia contrâ  
 Subiecit Moses. Vtinam, Rex optime, summum,  
 Atque ita sim felix, studeas cognoscere Numen  
 Hæc enus ignotum. Nempe, hæc via sola salutis  
 Nosse Deum, tanto solus qui nomine dignus  
 Consortem nec habet, riualem nec timet ullum;  
 Qui mare, qui terras, magnique volumina cœli  
 Deprompsitque sinu bonus, & nutu extulit uno  
 In speciem hanc mirandam oculis, mentique sagaci  
 Artificis nomen clara ceu loquentem:  
 Eius opus, quodcunque vides: & plurima sensus,  
 Quæ fugiunt occulta tuos, seu corpora constent  
 Materia, seu sint habiles sine corpore mentes;  
 Quas tamen ex notis fas explorare figuris.  
 Sed non villa Dei species magè viuida spirat,  
 Quam, que impressa animis hominum resplendet  
     imago;  
 Illa refert viuos vultus, illa arguit ora  
 Artificis, validasque manus, mentisque supreme  
 Consilium, luteo spirans in corpore seruat.  
 Hunc adeò nescire Deum insipientia certa est.  
 Nostrorum est Deus ille Patrum, cui sanguinis author  
 Fædere deuinctos docuit seruire nepotes  
 Abramidas. Nunc ille iubet manifesta sequutos  
 Auspicia ire Pharo; & monstrati in vertice montis

9  
Moses  
docet,  
quis sit  
Deus.

## 52 MOYES VIATOR.

In flammam ingulare boues ; libamina ferre,  
Et lustrare suam per certa piacula gentem.  
Horrendis adigit monstros ; ne forte morantem  
Pestilitasve famesve , aut caci insania ferri  
Cladibus absument populum , ut portenta minantur.

10  
Extrudi-  
tur Mo-  
ses.

Talibus insano gliscit violentia Regi,  
Elataque manu quatiens cum vertice sceptrum,  
Cur populi resides animos ; plebemque quietam  
Solicitatis, ait ? cessant : Genioque soluti  
Ducere Bacchanal poscunt altaria circum,  
Saturnique agitare dies. Ignavia vobis  
Religio est, Deus abdomen , gula vasta Sacerdos.

Onera  
noua im-  
posita.

Sic ait, aulaque extrusos ad pensa remittit  
Fœdatos ignominia , probrisque pudendis  
Cœli Oratores , hominum, Diuumque sequestros.  
Heu lauas procerum mentes ! impronida Regum  
Consilia ! heu quantum poteras, Ægypte malorum ,  
Quam facili vitare via ? plectere superbos  
Principis insani fastus , seruitis & autæ  
Ludibria , atque istos magno mercabere risus.  
Urget adhuc iussis Pharao , accenditque furentes.

Cernitis , ut crescat protes Abramia damnis ;  
Nec profit mersisse mares ; nec longa laborum  
Coctilibus muris series compescere possit  
Frondentem generis sobolem ? Quid, si otia dentur ,  
Immunemque operum plebem indulgentia laxet ?  
Et festos sinat ire dies , quem prodiga gentis  
Luxuries finem accipiet ? quæ deinde potestas  
Sufficiat populi immensam defletere molem ?  
Cum numero augescunt vires , audacia crescit :  
Hinc timor est, nostris ne se induat aduena regnis ,  
Et dominis serui imperirent : tum sanguine herili  
Eluerint sordes ; & iam ceruicibus instant.

Ergo

Ergo agite, *huc mecum vigiles intendite curas:*  
*Nec mora, nec requies fessis danda hostibus vlla:*  
*Conquirant ipsi paleas, virgultaque vellant*  
*Affiduis alimenta focis; nec pensa remittant*  
*Propterea, aut laterum numero decidere quicquam*  
*Sustineant præfecti operum; nec verbera cessent,*  
*Si quisquam cessator erit: sic, nempe, premendum*  
*Seruitia, in dominos ne fœda licentia surgat.*

*Accipiunt plausu Proceres feralia iussa,*  
*Acclamantque suis Regi de mensibus annos;*  
*Tales esse Deum sensus, & talia verba.*  
*Et iam fama volans miserorum ergastula complet:*  
*Regia non segnes urgunt edicta ministri,*  
*Promulgant, signante cruces, duplicante laborem,*  
*Et fodunt costas operarum, & verbere scindunt.*  
*Feruet opus, mutoque metu tristissima passim*  
*Sæuitiae Isacidum vultus deiecit imago.*

*Nec fas, ingemere, aut lacrymis vulgare dolorem.*  
*Principio Tribuum primos, miserabile visu!*  
*Pœnarum in specimen laceros crudeliter artus*  
*Traducunt populo coram, & per compita raptant.*  
*Tercentum è numero, manantia sanguine largo,*  
*Tergaque, pectoraque, & fœdati immaniter ora*  
*Carnificum elapsi manibus, miserando ululatu*  
*Regem adeunt, altisque aulam singultibus implent,*  
*Et clamante simul vocem cum sanguine tollunt.*  
*Non penetrant voces animum, nec corda tyranni:*  
*Sanguinis at clamor volat altius, astraque pulsat.*

*Heu! si qua est pietas cœlo, aut clementia terris!*  
*Innocuos miserare, ô Rex; aut perde nocentes*  
*Conuictos: sed perde semel: qua noxa? quis error?*  
*Quid famuli meruere tui? Si pacta fides est,*  
*Obsequiisque tuis iuratam ritè tenemus,*

II  
Augentur  
& verbe-  
ra.

Præfecti  
Hebræi  
loris se-  
xi.

Querela  
ad Regem.  
Exod 5.  
16.

D 3 Et

## 54 MOYES VIATOR.

*Et scelus est iurasse fidem, & pietate teneri,  
 Quin morimur confessi omnes? Quam saea, volentes,  
 Condito, non posse mori? Heu! per lenta malignis  
 Protrahimur tormenta odiis! saeuisque satelles  
 Adiicit ad poenas cum vita extendere mortem,  
 Sanitatem tua obtendit, Rex optime, iussa!  
 Enlaceros loris artus, & hiantia membra  
 Verberibus, certa obsequij vestigia nostri;  
 Nec plus posse operas, quam quod cum sanguine  
 soluunt;*  
*Plus tamen exigimur: superest vnum:exige vitam:  
 Hanc & sponte dabunt miseri, lucroque reponent  
 Otia nancisci letho, & finire dolores,  
 Infelix opus, ingratamque abrumpere lucem.*

Explodū-  
tur à Re-  
ge.
*Has lacrymas, queis vel tigres, vel saea leonum.  
 Pectora, vel Rhodopes possint mollescere saxa,  
 Despicit insultans Pharaon, atque immidis acerbat.*

*Sic decet urgeri pecus ad præsepio torpens,  
 Otiaque ignavis auertere marcida tergis,  
 Consertaque sinu his stimulis diuellere dextras.  
 Ergo ad opus properate alacres: vos ipsa fatigant  
 Otia, & ignavis ludos, pompasque sacrorum  
 Iniiciunt animis: corio sic ludere vestro  
 Collibitum est, nisi pensa manus consueta laborent;  
 Prætereaque operi stipulas & ligna ministrent.*

12
*Sic fatus vultum auertit, mutosque relinquit.*

Querelæ  
populi, &  
murmur  
in Mose.
*Obuius occurrit cum fratre ad regia Moses  
 Atria, quos contra verba indignantia iactat  
 Plagarum impatiens dolor, & sic ore lacefit:*

*Quod nostrum est in vos facinus? quod sanguine  
 tanto*

*Crudelis fratrum pietas ulciscere crimen?*

*Aspice nos, scelerum Vindex! age, discute causam,  
 Iam*

Iam furiis , iam dede reos. Quid pace profunda  
 Isacidas placitum vobis turbare fruentes ,  
 Et ferrum , causāmque odij præbere Tyranno ?  
 Regalēsque iras iugulis immittere nostris ?  
 Nominis Hebrai per vos infamia flagrat ,  
 Et per vos flammata odia hæc , quibus urimur omnes ,  
 Ambitio vestra hunc nobis exsuscitat ignem ,  
 Importatque faces tectis , & ventilat ultrò.  
 Ite procul , vani Vates , fallacibus umbris  
 Ludere deliros : finite hic nos pace potiri.

Ingemit , & linguis Moses ignoscit amaris  
 Illacrymans ; séque incusat , paucisque precatus  
 Ad cœlum duplices palmas cum voce tetendit.

His igitur , Pater omnipotens , nos deseris orsis ?  
 Hæc tua magna fides , quæ nunc me in strage meorum  
 Obruit inuidia , & cognato sanguine fœdat ?  
 Me miserum ! quin ipse luo ? nil iste , nec ausus ,  
 Nec potuit populus : tua ego mandata loquuntus  
 In furias egi Satrapas , animūmque tyranni ,  
 Ferreaque ipse dedi in nostrum caput hostibus arma .  
 Id metuens , onus hoc semper , scis ipse , refugi  
 Imparibus portare humeris : tua dextera adegit ,  
 Auxiliique fides . Vbi nunc miracula flammæ .  
 Intérque ardentes spina illibata fauillas ?

Talibus orantem subit impetus æthere ab alto  
 Consilium cœli insinuans , serièmque laborum ,  
 Queis attrita Pharos serò ingemat ; & simul ingens  
 Lumine fatidico stimulat fidentia pectus ,  
 Incenditque animos querulorum , & robore firmat .  
 Ergo alacer præit ipse viam , primusque superbos  
 Aulai irrumpit postes , séque arduus infert ,  
 Hortatürque sequi socios , & se addere testes  
 Diuinorum operum , fidosque aduertere sensus .

13  
Mosis cō-  
misera-  
tio.

D 4 Affatur

## 56 MOYSES VIATOR.

*Affatur paucis, Arone Interprete, Regem,  
Aurea cui tereti dicenti copia lingua,  
Puraque de liquido demanant gutture mella.*

Aarō, In-  
terpres  
Mosis a-  
pud Re-  
gem.

*Ne, Pharao, ne iussa Dei manifesta moreris  
Amplius, & cœlo surdam ne auerteris aurem.  
Nec tibi, nec Phariis sera experientia regnis  
Profuerit: sapient vestris saecla altera pœnis,  
Et tua dediscent fastus per damna tyranni.  
Nam, quæ usquam terrena polis impunè potestas  
Restitit? aut pacem offenso sibi Numine sanxit?  
Magnanimo vilem satis est strauisse leoni  
Victimam, & ire super, trepidæq; relinquere vitam.  
At si forte duces armenti, audacia contrâ  
Cornua ferre ausint; exsertat protinus ungues,  
Et totam auulso rabiem consumit in armos:  
Quamvis colla cruor grauet undique, tabe madentes  
Erexit tamen ira iubas, stragique superstes  
Crudus anhelat adhuc mediis in cœdibus horror.  
Haud aliter Deus assuevit tractare rebelles,  
Et veniam dare supplicibus: quando integra res est,  
Cede Deo, iamque intentum tibi suspice ferrum.*

14  
Signa pe-  
tuntur à  
Rege.

*Vocibus his compressa parum vis effera Regis,  
Argumenta rogat fidei, iam mollior ira,  
Authorémque Deum haud dubiis ostendere signis  
Imperat Hebraeos coram, aula iudice, fratres.*

*Protinus augusto vultu, canisque verendus,  
Numinis instar habens, vibranti lumine Moses  
Processit, radiisque manu fastigia quassans  
Sublime ostentat fatali ex arbore lignum,  
Et tacitus fratribus dextræ inserit: accipit Aron  
Fraterno nutu radium, & mandata Tonantis.*

*Tum sic orsus ait: Si nos, Rex optime, summi  
Numinis hic iussu, te coram adstamus, & aula,*

*Quod*

Quod Proceres, populūsque vident; si iusta iubemur  
 Sacra Deo ferre, & Phariis exceedere campis,  
 Monstratoque ingo castis operarier aris;  
 Sic vobis sit sancta fides, sit sanctaque nobis:  
 Ilicet hæc excussa manu, quam cernis ab ipsa  
 A nūlSAM radice olim, vitique carentem,  
 Exsuccam, sterilem, & rigidum sine cortice lignum;  
 Ilicet, hæc, inquam, viuum vertatur in anguem.  
 Ante oculos, interque pedes qui lubrica vestros  
 Terga rotans, lapsu, & spiris undantibus erret.

Dixerat: excussam dextra abiicit: illa repente  
 Vertitur in colubrum, rutilis cui cœrula squamis  
 Colla tument, cristatus apex intermicat auro,  
 Lucent purpurea per terga nigrantia guttae;  
 Et sublime caput trisidis secat aëra linguis:  
 Sibilat, & sinuoso asarota volumine verrit.  
 Horrescunt Pharao, & Proceres, tatique corona  
 Absistunt circum trepidi: micat anguis in orbem,  
 Et circum trepidos canda adsultante volutus  
 Summonet instantem turbam, terrètque veneno:  
 Sed mordere vetat Vates, audiūmque coercet:  
 Cantibus haud tamen est Marsorum obnoxius ullis.  
 Diffugerent confertim omnes: sed carmine Mambres,  
 Psillaoque potens Iannes medicamine, sistunt  
 Præcipites, stantiue in mediis & voce morantur.

Quis paucor, ô Ciues? quæ vos ludibria terrent?  
 Artibus hic prorsus nihil insuperabile nostris:  
 Securus sedeat Pharao, iubeatque, quid optet,  
 Quid malit spectare oculis: an currere montes?  
 A nūlSAMne suis descendere montibus ornos?  
 An ruere ex alto stellas? trepidamne coactis  
 Huc Hecatem properare rotis? retro ire iugales  
 Luciferi? an Solem plena delinquere Luna?

15  
Virga in  
serpentē.

16  
Magi mi-  
ra pro-  
mittunt.

## 58 MOYES VIATOR.

*An rediniua suis exire huc ossa sepulcris?  
Nam colubros facile est versis producere virgis.  
Annuerit Pharao, mox hac serpentibus aula  
Bulliet, anguicomæ ceu crine referta Medusæ.*

Magorū  
virgæ in  
colubros.

Dæmonū  
celeritas  
in præsti-  
giis.

Miracula  
theatri-  
ca.

17  
Serpens  
Mosaicus  
regnat in  
turba.

*Hoc placuit signum, ut per facta simillima Mosi  
Vanescat detracta fides, ceu ludicra monstra.  
Procedunt magicis donati à Præside sceptris,  
Lymphati furiis, & verum obnubere fuco,  
Et spectantum oculis fallacem obtrudere fumum.  
Ordine proiiciunt radios: salit ordine serpens  
Protinus, & medio vanescunt aère virgæ.  
Vix tetigere solum, apparent profustibus angues,  
Mentiturque oculis præceps in turbine motus,  
Quo rapiunt teretes Parendri medio aère virgas,  
Substituuntque angues; pro ligno tortile monstrum.  
Labitur ante oculos, & pectora marmora lambit.  
Præstingunt aciem celeres, luduntque ministri,  
Obscurique micant agiles cursu, atque recursu:  
Usque Syenæis angues portantur arenis.  
Ingeminant plausum Proceres, populi que corona.  
Hand aliter Grais illusit scena theatris,  
Ludicra cum positis intraret turba cothurnis,  
Et tetricos intersereret diuerbia ludos,  
Et quaterent caueam vana ad miracula plausus,  
Seu quis Dædaleis enasset ad æthera pennis,  
Sine quis immanni visus manducus hiatu  
Veruecem vinum crepitantibus abdere malis.  
Hand secùs applausè Magis: iamque aula colubris  
Undat, & implexis luctantur nexibus angues:  
Sed medios inter serpens Moseius hydros  
Voluitur, vt vacuo regnans basiliscus in antro.  
Dant humiles, trepidique locum, longèque recedunt,  
Ceu metuant apicem, & surgentes vertice cristas.*

Frustrà

Frustrà illum Iannes tentauit rumpere cantu,  
 Feralem fruстрà super unum immittere turbam;  
 Stat vigil, & nullo demittit lumina somno;  
 Nec fas Colchiacis vigilem exarmare venenis.  
 Ludibriis Regem ut magicis concedere Moses,  
 Ambiguamque fidem veri vanescere sensit,  
 Insultare Magos, stolidumque applaudere vulgus:

Si meus, inquit, habet veras à Numine vires  
 Supremo, cuius missu tibi nuntius adsum,  
 O Pharaon, mandata ferens certissima cœli,  
 Iam nunc iste meus vestros draco deuoret angues.  
 Vix ea fatus erat, iam fauibus ignea serpens  
 Vipeream inuadit turbam, laceratque, voratque  
 Imbelles torpore feras; frustraque retortis  
 Suppliciter spiris, & opem stridore petentes:  
 Sed neque opem Iannes, neque opem pote carmine  
 Mambres

Porrigeret, Hebrai pereant ne dentibus hydri:  
 Nec Mosem contra Stygiæ audent hiscere larue.  
 Anguinea iam nullus erat de gente superstes;  
 Reliquia hostiles nulla; victorque cerastes  
 Mosæns, tamen usque minas, & prælia spirat.  
 Correptum extremæ Vates lenat agmine candæ  
 Intrepidus, tactique manus, mirabile dictu!  
 Restituit Virgæ, colubro cessante, figuram.  
 Obstupuit visu Pharaon: sed caca viri mens  
 Assignat magicis diuina oracula pactis.

Nec capit Hebraæ genti coalescere regnum,  
 Fata regente Deo, & mittendum ex æthere Regem,  
 Isacia stirpe, & patria Deitate tremendum:  
 Quanquam humilem specie, & serpentis imagine  
 tectum,

Indutum exuuiis mortalibus, inque sepulcro

Deuorat  
magicos.

Redit in  
Virgam.

I 8  
Allegoria  
serpentis  
de Chri-  
sti regn.  
Psalm. 2.

Fatali

## 60 MOYES VIATOR.

Fatali è ligno reptantem in puluere vermem,  
Quem contra Regesque fremant, populique rebelles  
Coniurent caci, & meditentur inania bella,  
Armaque victori demum paritura triumphos.  
Nam mox ille humilis, spretusque in puluere serpens  
Exeret in Reges iras; sceptra omnia mundi  
Conteret, absumetque prece implacabilis hostes.  
Tum patrio victor placido reget aethera sceptro:  
Tum sociis spolia ampla, & victa morte perennes  
Diuidet exuuias, & opima pace beabit.  
Portentum Isacida agnoscunt, docet omnia Moses,  
Eatorumque arcana mouet: ventura salutant  
Sacula, spe lati, fideique in lumine viuunt:  
Interea Regi, & Phariis nox incubat atra.

19  
Plage in-  
fligendæ.

Ergo ubi nulla fides verbis, ad verbera tandem  
Ire Deo visum, plagiisque intendere dextram.  
Quid fieri velit, & seriem rerum ordine certo  
Exponit sera Mosi de nocte precanti:  
Fluminis ad ripas primo se lumine sistat,  
Quis Pharaon spatiis solitus surgentis ad ortus  
Luciferi, radios lucis captare recentes,  
Et matutini rorantes frigoris auras,  
Defectum lymphis ut inundet sanguine flumen,  
Spumantemque vadis ripa horreat ipsa cruorem.  
Hæc si prima Pharo labes, ut sanguine Nilus  
Lugeat infantum cades, & funera ploret,  
Attritus nigro tabo, tristesque peremptis  
Piscibus inferias corrupto gurgite mittat.

Regij  
horti.

Iam Pharaon è thalamis se matutinus agebat  
Ad virides fluuij ripas, ubi plurima longè  
Dædala directis tendit se pergula syluis,  
Et Soles spatiis umbrâ vernantibus arcet,  
Committiturque aulam fluuij, & pomaria ripis

Regia,

*Regia, multifidos variè partita per hortos.*

*Occurrunt Regi fratres ad fluminis oras;*

*Quem prior aggressus Moses: Satis hactenus, inquit,*

*Verborum exhaustum: neque deinceps perdere nobis*

*Verba placet: factis cernes, virum aethere ab alto*

*Attulerim mandata tibi. Percussa repente*

*Flumina sanguineis undabunt omnia riuis,*

*Squamosumque pecus fundo eructabit ab imo*

*Nilus, ut electi putrescant gurgite pisces:*

*Ater ubique tibi saliet crux. Ilicet Aron*

*Insus agit, virgaque ferit Nili humida regna,*

*Imperiumque Dei mutatis incutit undis*

*Præfatus: Nostrum sitiisti, Ægypte, crux,*

*Cum teneros fatus, & adhuc à matre rubentes*

*Fluctibus exciperet Nilus: nunc ille cruentis*

*Vorticibus fluat, unde bibas, Ægypte, crux,*

*Sanguine stagna natent: exundent sanguine fossæ:*

*Nulla palus, nulli restent sine sanguine riui:*

*Sanguineique lacus sint, sanguineaque lacuna:*

*Sanguis & in puteos fluat, atque in pocula sanguis:*

*Omnis ubique micet salienti sanguine vena,*

*Si quæ arcana meat Phariæ per viscera terræ.*

*Sic ait, & Pharias ceu vulnere sauciatus undas,*

*Et rude percussum respergit sanguine flumen.*

*Exemplò exhausti latices, & limpidus humor*

*Defecere vadis: impleuerat omnia sanguis*

*Flumina, stagna, lacus, puteos, viuaria, fossas,*

*Euriposque, cadosque, vrnasque & aquaria vasæ:*

*Omnia sanguis erat. Magicas hic rursus ad artes*

*Conuersus Pharao: spondent eadem omnia Mystra:*

*Posse etiam, si Rex inbeat, vasta aquora Ponti*

*Sanguine mutari, & tellurem sanguine cingi.*

*Imperet afferri puris è fontibus undas,*

Denūtia-  
tur plaga  
sangu-  
nis.

Prima  
plaga sā-  
guinis.

20  
Magi sā-  
guinem  
spondent.

*Aut*

## 62 MOYES VIATOR.

*Aut pureis haustos latices, & limpida stagna.  
Ne quicquam iubeat Pharao. Mareotide tota  
Iam deerant lymphæ, liquidas nec fontibus vrnas,  
Nec purum Phariis usquam reperire liquorem  
Fas erat. Implorant patrios longo ordine Diuos,  
Carminèque ante omnes mutantem Prottea formas  
Concelebrant, triplicemque canem, triplicemque  
Dianam.*

Dæmones  
aliunde  
importat  
aquam.

*Protinus Orcini Genij ingrediuntur ephebis  
Consimiles; iuuenum notos è principis aula  
Induti vultus, habitusque & nomina singunt,  
Portantes vrnis, conchisque capacibus undas:  
Vicinis simulant latices è fontibus haustos;  
Tam facile illudit falli cupientibus error.  
Gauisi Pharao, & comites, visu omnia lustrant,  
Explorant manibus latices, linguisque regunt.  
Ut verus patuit veris in peluibus humor,  
Tum Iannes, Mambrésque manus ad cymbia mittunt,  
Patria libatis venerati Numinia lymphis.*

Inferunt  
sanguinē,  
sublata  
aqua.

*Mox dabimus purum, Mambres ait, Isi, cruentem,  
Muneribus si, Diua, tuis has vertimus undas,  
Cuncta tuo ut discant omnes sub Numine verti.*

*Hec simul & rapida torquent vertigine pelues,  
Ut fucum faciant oculis; Geniique volucres  
Interea exhaustis, sparsisque per aera lymphis  
Spumantem importent pateris aliunde cruentem,  
Quem facile est calidum casis inferre iuencis,  
Aut propè, sanguineis de Nili haurire fluentis.  
Artibus his vero fumarunt sanguine lances,  
Præcipiti sensus hebetes fallente rotatu.  
Exclamat, Isimq; vocant, Isimq; salutant  
Memphitæ, Mystasque suos ad sydera tollunt,  
Et largum pateris vergunt in vota cruentem.*

Non

*Non tulit indignans Moses diuina profanis  
Impuros simulare dolis miracula Myſtas;  
Irruit, & diro clamores omine rumpit.*

21  
Moses ar-  
guit Ma-  
gos aquæ  
inopes.

*Quis furor, ô cæci, stagnantem augere cruorem.  
Sanguine? Sic deceat flammis extinguere flammas,  
Et premere injectoflammata bitumine ligna.  
Quin potius, si vestra potest industria quicquam,  
Aut inopes, stupidique Di⁹; quin redditis undas  
Fluminibus, puroque sitim defenditis alueo?  
Purgari potius fontes, & flumina tabo  
Tempus eget, diramque sitim pecori⁹que, virisque  
Arcere, & tetram puteis auertere pestem.  
Utq; Dei constet vobis hoc verbere dextra,  
Isacidæ puros latices è flumine ducent;  
Quod crux ater erit vobis; & fonte ab eodem  
Sanguis erit vobis; liquida illis pocula lymphæ.  
Dixit, & auersus Regémque, Magosque reliquit  
Fluminis ad ripam attonitos: spumantibus undis  
Gurgite purpureo fumans deuoluitur amnis,  
Et sonat; ardentes collucent sanguine ripæ.  
Expectant Phari⁹, dum detonet horrida rubris  
Tempeſtas excita vadis; si limpidus alueo  
Clarescat redeunte liquor; si defluat amnis  
Turbidus, ut liquidas ducant in pocula lymphas:  
Sed fruſtræ. Quam longa patet Mareotica tellus  
A Pelusiakis Nili egredientis arenis  
Æthiopum ad fines, Pharios unde incipit agros  
Perpluere, & latis ditare noualia stagnis,  
Sanguineos voluit flumen tanto agmine fluctus.  
Iamque vadis saliunt imis immania monſtra,  
Littora Niliaci reptant ad tuta lacerti:  
Nec prohibet nox vda fugam stellante sereno:  
Flumineos idem urget equos timor, abdita fundo*

22  
Pisces  
vbique  
motun-  
tur.

*Effugiunt*

## 64 MOYES VIATOR.

Crocodili, & hippopotami.

Effugiant stabula, & tumulos tuto aethere captant  
 Luce palam, & tortis delent vestigia caudis  
 Per ripas, querulisque auras hinnitibus implent:  
 Sternunt attonitae super herbas corpora Phocæ:  
 Sternutant, totoque adnixa pectore anhelant,  
 Sanguineosque vomunt fluctus: sublime corusci  
 Natales querunt undas in flumine pisces.  
 Iam Protei pecus omne rubro timet aquore mergi,  
 Atque audiè ad ripas fessis adremigat alis;  
 Obstant sanguineis viscosa repagula stagnis,  
 Putria praetexunt corruptas corpora ripas,  
 Funeribusque suis alte consternitur aquor.

**23**  
 Sitis molestissima  
 ubique.

Interea suis agra urbes, camposque pererrat,  
 Perniciem generique hominum, seclisque animantium  
 Funera sicca ferens, & inhalans fauibus ignem,  
 Qui voret arentes siccis pulmonibus artus.

Pecori.

Errauere boues nequicquam ad flumina nota,  
 Subtractum horrisonis questæ mugitibus imbre,  
 Balantumque greges notos linxere meatus,  
 Aut petiere vdis frustà conuallibus undas.

Homini-  
 bus.

At Phary primum ripas & flumina circum-

Artifica  
 elicienda  
 aquæ.

Effodiunt passim puteos; sed viscera terræ  
 Cuncta cruenta vident, nullam sine sanguine venam.  
 Si quid arenoso saccatum tramite fluxit,  
 Aut velut impositis manauit gutta trapetis,  
 Purior & paulò crassis sine facibus humor,  
 Nectar erat: plures legere in pocula rorem,  
 Qui vix sufficeret raucis astate cicadis.

Vilosas alijs pelles, & vellera in vdis  
 Expandunt intensa locis, Iouis axe sereno:  
 Sic Gedeoneis prefferunt artibus imbre,  
 Imposuere alijs vel oientes ignibus herbas,  
 Aut lentis flores foculis, tenuemque vaporem.

Excipiunt

*Excipiunt gelidis resolutum in pocula lammis  
Guttatim, & nimis artificum sicca ora morantem :  
Sic tamen est pluuias imitata industria nubes.*

*Quas non ingenii artes extundat egestas ?*

*Sed pars Sarmatico potauit plurima ritu ,*

*& rosee confudit lacte cruem :*

*Pars etiam modico liquefecit mella Lyæo.*

*Interea Pharaao & Proceres Lenæa frequentant*

*Munera , nec consueta negant libamina Baccho ,*

*& sola Naxæis stagnabant ebria vinis.*

*Sic etiam crudum populi babit aula cruem.*

*Hebrei liquidas ducunt è flumine lymphas ,*

*& puros puteis latices : sic ubere vena*

*Omnipotens utrumque iubet manare liquorem !*

*Forsan ab Hebreis Pharij si limpida poscant*

*Pocula , ut admotis tangunt Acheloia labris*

*Pocula , mutatas horrescunt sanguine lymphas :*

*Tanto adeò dirimit populos discrimine Numen !*

*Est in conspectu Memphis celeberrima genti*

*Insula , parua solo , sed clara Serapidis aris ,*

*Antiquoque ingens templo , cultique Canopi .*

*Gurgitibus positam mediis lauat amne bicorni*

*Nilus , & excelsas nunquam obruit aquore moles .*

*Hic fluij Nymphaea sacris præsaga columnis ,*

*Et cubitis signata silex , mensuraque certis*

*Annonæ descripta notis , seu copia frugum ,*

*Seu steriles anni , aut tenues pro tempore messes .*

*Hanc posuit longis varia experientia sæcis ,*

*Signauitque gradus fluij crescentis , & oras*

*Terrarum , quas eluuias stagnantibus vndis*

*Impletat , aut steriles vrna parcente relinquat ,*

*Aut nimium exundans , sero nimis aquore mergat ,*

*Excludatque satus stagnis , & pauperet annum .*

*Sanguinē  
bibunt cū  
laete.*

*Vinum  
diuīce.*

*Hebreis  
aque pu-  
ra erant.*

24.  
Puteus  
præsagus  
annonæ.

## 66 MOYES VIATOR.

*Fluminis hic manifesta fides. Longæus Aruspex  
Præsidet, atque imo seruat surgentia fundo  
Incrementa, procul secreto inœcta meatu.*

**Pygmæi,  
nuntij an-  
nonæ.**

*Innumeri circum Pygmaæ è gente Camilli  
Obseruant edicta senis, cubitisque notatam  
Spem segetum, sortesque anni volucri agmine vulgant  
Per populum, Memphisque vias: hinc didita fama.  
Transuolat, & longè Ægyptum fausto omne cōplet:  
Iusta bis octonos cubitos si ascenderit vrna,  
Flore coronati plaudunt ad sistra Camilli:*

**Memnon  
Sacerdos  
Nili.**

*Ad sulfant crotalis urbes, latique coloni.  
Excubat his Memnon adytis venerandus & usu,  
Et senio: frustrâ ille preces, ignotaque verba  
Multiplicat fluvio, ut saevas demitiget iras,  
Expiet aut diris torpem fluctibus amnem.  
Fallenti somno curas, insueta repente*

**Imago  
Nili.**

*Adstitit ante oculos species horrenda videri  
Fluminis: haud illi virides ad cornua bibli,  
Nec tremula implexum præcinxit arundine sertum:  
Tempora cana situ, impexaque horrentia musco.  
Longè illi Pygmaæ cohors, neque pectore molles  
Insiliunt Pumili, colloque proterius hærent  
Vellentes, calamósque comæ, barbamque madentem,  
Nec pueris solitum senior glauco ore renidet:  
Sed tristes pædore habitus, & decolor ora  
Poma manu, & fruges cornu labente remittit,  
Et triplicem dextra incumbens vix sustinet vrnam.  
Non illum crocodilus equo squama aureus infert,  
Aut soliti summas biuges vexere per undas:  
Exhausti macie vultus, perfossa profundo  
Pectora vulnere hiant, triplici cruar undat ab vrna,  
Purpureamque animam calidis torrentibus efflat.*

*Heu! queis, Nile, inquit Memnon, te fontibus ortum  
Accipio?*

*Accipio? quo, Nile Pater, sic te egeris antro?  
 Cui tantum in Superos licuit? Titania rursus  
 Prælia, & extructos sensisti ad sidera montes?  
 Quas Phariis acies, quænam arma inimica minaris?  
 Sis placidus, pacemque tuis firma, optime, terris:  
 Deinde iube, quæ te malis per sacra piari.*

*Nilus ad hæc: Sic me Pharij, sic facta cruentant  
 Impia, vorticibus nostris Rege hausta inbente  
 Mascula progenies Hebrai sanguinis: at nunc  
 Ille vltor scelerum serus, cui summa potestas  
 In superas, imoque domos, me vulnere mactat  
 Mortifero: vobis reddunt sclera illa cruorem.  
 Ille meis olim euasit de fluctibus infans,  
 Qui fatale vagis nomen sortitus ab undis  
 Me, gentesque meas tetro nunc sanguine mergit.  
 Nec sacris opus est ullis: hæc vulnera solus  
 Persanare potest, qui inflxit verbera Moses.  
 Sic ait, & porta somnos abruptit eburnea,  
 Et fumum in tenuem, luce albescente, refugit.*

Causa  
mutati in  
sanguinē.

*Septima iam horrificos haustus Aurora videbat,  
 Regnantemque sitim fluuii, & dipsade saua  
 Sternentem populos, armentaque bucura campis.  
 Nec requies erat villa mali; nisi imagine stragis,  
 Ingenioque suo victus mirissimus Heros,  
 Et lacrymis miserorum vltro se se arbiter iræ  
 Numinis obiceret supplex, humilique precatu  
 Placaret cœlum Phariis. Auditus ab alto  
 Perspicuos fluuii latices, & limpida puris  
 Restituit crystalla vadis, fluctusque salubres,  
 Et nutu ereptas, nutu quoque reddidit undas.  
 Latitia exultat reuocata à funere Memphis,  
 Ingratæq; bibunt gentes: Rex impius acta  
 Adscribit Fato; numerisque mouentibus orbem,*

25  
Restituū-  
tur aquæ.

E 2      Ingratiusque

## 68 MOYES VIATOR.

Ingratūsque Dei donis durescit, & odit  
Munificāmque manum Mōsis, linguāmque potentem.

26  
Denūtiatur plaga  
secunda ranarum.

Ergo iterum iussus Vates denuntiat iras,  
Et fædam illuuiem turbantibus omnia ranis.  
Irrisere minas Proceres, hostēmque palūstrem,  
Armatas calamis acies, hastatāque iuncto

Agmina, & in mures de regno exercita bella.

Promisere Magi similes ad ludicra turmas,  
Prælia ranarum, cœloque excire rubetas,  
Protinus & virides Lycia de gente colonos  
Nubibus elicere. Ac nimbum fecere sonantem,

Audiri, & ranis rorare loquacibus imbrem.

Sed casu ignauæ sidunt: vix ægra trahentes  
Ilia, eodem, quo ceciderunt, cespite torpant.

At simul ut Virga elata stagna, atque paludes

Increpuit Vates, ius sitque erumpere ranas:

Erupere cauis conferta examina stagnis;  
Inuaduntque procul campos, & saltibus altis  
Transiliunt tumulos: alacres iam mœnibus instant  
Turritis: hostem nullus iam distinet agger.

Urgent confertim facta testudine portas:

Insiliunt aliis aliae, turbantque, ruuntque,

Repūt ut natantes per muros.  
Quæ data porta patet, quaque inuia mœnia, scandunt,  
Aut saltu, aut unco manuum per saxa natatu,  
Ceu per stagna fluant, placidisque paludibus errent.

Raucisonas super hac laterum de follibus amplis

Inflanere tubas, horrendaque classica toti

Ægypto intoniere: tremunt Bumastis, & arces

Mempheos; è muta nam nulla aduecta Seriphos:

Non sunt seriphæ.

Sed venere ab aquis, stagnisque sonantibus omnes.

Exclusi tectis coeunt in compita ciues

Bufones.

Ferali exciti cantu, & bufonibus atris,

Qui cognata ingant audacibus agmina ranis,

Luctisomisque

Luctisonisque citant tristes ululatibus imbre,  
 Cen Martem clamore vocent. Sic barbara mos est  
 Agmina conuulsis ruere in certamina signis,  
 Horrificoque inferre hosti clamore pauorem,  
 Et rapere obductum Solem, cen nube, sagittis;  
 Eripit insano mentem Bellona tumultu,  
 Obtenebratque tubis animos, miscetque furores.  
 Haud aliter turbata Pharos rumpentibus aures,  
 Exitium praesens, & triste canentibus omen,  
 Ventriloquis: bullit tellus, nec flumina cessant  
 Eruetare luem, raucamque emittere gentem.  
 Gurgitibus: saliunt immani corpore ventres,  
 Obscenosque ferunt celsa ad palatia rictus.  
 Exturbant thalamis Regem, & conuitia cantant  
 Importuna epulis: rasis mantilia villis,  
 Et citrios orbes, & puluinaribus aureis  
 Surgentes maculant spondas: quin lancibus ipsis  
 Proluuiem fœdam exsoluunt ignobilis alii.  
 Horrescit Pharaon seuan inter pocula pestem,  
 Allapsas cyathis ranas, vinoque madentes,  
 Et subito dirum admotis ad labra minantes.  
 Excusit longè calices, aliosque poposcit:  
 Rursus, & in calices alios rana altera saltu  
 Incidit, & rursus calices tepido ore refugit.  
 Miserat ad patinas dextram? tristem inde rubetam  
 Abstulit, & digitis elisam respuit horror  
 Pallidus, ut tetrum mensis afflauit odorem.  
 Phineas hoc more dapes Iouis ira Celano  
 Polluit obscenos immittens lancibus vngues,  
 Damnauitque fame miseri coniuua Regis  
 Illuiae dira, & fœdis inopina rapinis.  
 Sed tamen harpyias volucres Aquilonia proles  
 Ad Strophadum auerit scopulos melioribus aliis:

Horrenda coaxatio.

27  
Importunissime ubique.

Harpyias similes.

## 70 MOYSES VIATOR.

Sine re-  
medio  
malum.

*At Phariis hanc nemo potest auertere pestem :  
Non ignes, non saxa iuuant ; non scandere tecta  
Profuit, aut cœlo eductas ascendere turres,  
Aut centum oppositis penetrasse cubilia valuis.  
Aut foribus subeunt, aut in penetralibus ipsis  
Gignuntur putri ex cœlo, & per marmora reptant.  
Nec prohibent aulae thoris regalibus agmen  
Infestum : allapsa nitida inter pallia somnos*

Fugantē  
thalamis  
omnes.

*Excutiunt, thalamisque viros, teneraque maritas  
Eiiciunt : fugere nurus, passisque capillis  
Oblita crinale aurum, gemmāque nitentes,  
Fæmineo miscent tecta omnia comploratu.  
Interea ranis thalami lasciuia cessit,  
Persultantque thoros, & splendida linteal calcant.  
Iam casus, Abdera, tuos timet inclyta Memphis,  
Et quale Oenotrias fatum deleuit Amyclas.  
Cogitat exilium, patriāque relinquere sedes :  
Pugnat enim scelerum Vindex, populōque superbos  
Contemptim inualidis elisos obterit armis.*

28

Pharao  
coactus  
spondet  
commea-  
tum.

*Accersit Mosem Pharao, victusque fatetur  
Perfidiam : Isaciis spondet dare libera sacrī  
Otia, si reprimat fœdantes omnia ranas,  
Inq̄ suas reuocet monstra importuna paludes.  
Arbitrio Regis, fidei frans ne qua subesseret,  
Edictum tempus : placuit lux postera Regi,  
Condixit Moses. Et cum se crastinus, inquit,  
Lucifer extulerit croceis ex equore bigis,  
Extinctas primo ranas spectabitis ortu,  
Et Pharij immensos cumulabunt stragis aceruos,  
Aggestoque colent pingues latamine campos.  
Hac facient euenta fidem : tibi cognita summi  
Numinis optato constabit dextera signo,  
Ut necis ac vita Dominum isto pignore discas.*

Hac

Hec ait, & noctis secreta silentia captans,  
 Promissa fidei iussorem instanter adorat,  
 Inuaditque Deum lacrymis, flectitque precando:  
 Tum iubet extinctis aeterna silentia monstris,  
 Aut patrios remeare lacus. Vix postera summos  
 Contigerat croceis montes Titomia bigis,  
 Ranarum iam nullus erat toto dñe clamor:  
 Abdiderant se se fluiis, aut strage iacebant  
 Exanimes, ubi lux oriens oppresserat illas,  
 Imperiumque precum, & sanctæ fidei omnipotens vox.  
 Mirantur, neque tuta satis sua gaudia credunt  
 Agricola, neque recta sibi sua redditæ cines;  
 Ambiguique fidem tantis vix testibus addunt.  
 Mox purgare domos, diramque expellere villis  
 Colluuiem aggressi, cumulis ingentibus agros  
 Occuluere: hilari feruet Lilitina labore,  
 Ingentesque aperit ranarum in funera fossas.  
 Tot spoliis facit exiguum Proserpina lacrum.

At Pharaon admirans quæ tanta potentia Vati,  
 Scire cupit, qua stirpe satus, quibus artibus olim  
 Excultus, tanta unde viro fiducia surgat?  
 Queis tandem adueniat patriis de sedibus exul?  
 Nam neque in Ægypti visum fornacibus usquam,  
 Grandæni meminere senes, neque Merris in aula:  
 Longa dies, durusque labor nemoralibus antris  
 Erasere notas omnes, & honora iuuentæ  
 Lumina confudit sparsis absentia canis.  
 Sed species tamen in rugis augusta senectæ  
 Eminet, illustrisque satus toto indicat ore.  
 Scitur Pharaon famulos. Longæus Amyntor  
 Commemorat, Regemque docet, quæ Saïs alumno  
 Consuerat memorare parens: nam forte puellas  
 Regales tunc inter erat fidissima Saïs,

29  
 Fugantur  
 precibus  
 Mosis,

Sepeliuntur.

30  
 Pharaon  
 inquirit  
 de fortuna  
 Moy-  
 sis.

## 72 MOYES VIATOR.

*Lusum flumineas iret cum Merris ad oras,  
Thermutim dixere alij : sic orsus Amyntor.*

31

*Nunquam non metuenda reor præsagia Patrum,  
Vulgarosque metus populis, ut publica fata,  
Quanquam author, causeq; latent. Vox illa Deorum est,  
Quæ populi. Vix Hebreus huc venditus hospes,  
Cùm cœpit regnare, domo tum seruus herili.*

*Iosephus  
liber in  
seruitute.*

*O quam liber erat, dominæ cùm spreuit amores?  
Spretus amor, furiosque fremens infamia stupri  
Reddiderat iuuenem vinclis : ergastula soluit  
Libertas, & iura dabat mens integra vincit.*

*Iosephi  
prudētia.*

*Par vtraque in sorte fides : accitus in aulam  
Nil secum servile tulit : de compede servus,  
Iam Dominus Pharaonis erat : Regemque docebat  
Regnare ; & Satrapas secum se subdere sceptro,  
Denuntiosque fide ciuiti, insistere regno.*

*Qualis  
minister  
regius.*

*Audiuerè senes iuuenem : non tutior unquam  
Ægypti fortuna fuit, neque copia maior.  
Partitus Pharaon tanto cum Principe regnum,  
Maiestatem habuit solus : collega molestas  
Imperi solus curas, & nominis umbram,  
Quam Rex sponte dabat, curis tanto Augure liber.*

*Suspecti  
cur Ægy-  
ptiis He-  
bræi.*

*Inde Pharo suspecta domus : fortuna timeri  
Isacidum cœpit : fusis id voluere Parcas,  
Atque illis nere aeterno de stamine regnum.*

*Vaticinia  
de Moy-  
sis ortu.*

*Vulgata est ea fama polis, & credita Memphis.  
Principiè cùm iam populum Gessenia tellus  
Non caperet, premeretque domos latissima pubes.*

*Ameno-  
phis con-  
silia.*

*Inde fore insignem famam, formaque canebant  
Infantem ; patriæ quem longè examinagentis  
Certa sequi peterent alio sub sidere sedes.  
Fata caueis Amenophis, iners elidere vulgus  
Instituit, moles operum commentus, & urbes,*

*Et*

*Et maribus fluvio mersis, eludere dira  
Fata ratus, populo adscit per funera vires.*

*Millia paruorum deuoluit gurgite flumen:  
Hebreos sua damna ferunt: per vulnera crescent.*

*Venerat in lucem formâ mirabilis infans,  
Spem gentis nitido ore ferens: non ille solutus  
In lacrymas questu Superos, gemitûque salutat;  
Sed lato videt ore diem: arrisêre parentes.  
Accipiens omen genitor: Tûne illa tuorum,  
Nate, inquit, sperata salus? Sic te quoque tollam,  
Inuitò Pharaone, puer; neque flumina mergent,  
Seruari quem fata volunt. Iam Cynthia cursu  
Tres puero implerat menses: custodia circum  
Hebreos intenta lares exire verabat  
Longius; & iam se solitis vagitibus infans  
Prodiderat: patrij iam iam vestigia furti  
Regius insistens miles prædam aure tenebat.  
Elusit Iochabeta canes; puerumque papyro  
Inclusum exportans, postico elapsa fefellit.  
Fluminis in ripa, pueri comitante sorore,  
Densa inter caretâ latens cunabula texit  
Scirpiculis, cerâque obducit texta tenaci.  
Ter complexa sinu, lacrymis, & latte rigatum  
Composuit puerum cunis: ridentibus ille,  
Centristem Fortunam, oculis, fluctusque minaces  
Despiceret, pro voce dedit repetita parenti  
Oscula, spem vultu affirmans: tanto illa liquefecit  
In lacrymas miseranda magis, biblosque natantes  
Impellit trepidante manu; fluctusque precata  
Felices: Vade, inquit, aquis, cœloque secundis:  
Spem patriam optatos tecum, puer, inuehe portus.  
Si Deus adspicit, victrix fortuna phaselum  
Hunc habeat; si Fata reflant aduersa, sepulcrum.*

32  
Mosis or-  
tus.  
Seruatur  
à patre.

33  
Iochabé-  
ta puerū  
exponit.

## 74 MOYES VIATOR.

*Da, Deus, innocuis insons natet alueus undis.*

34

*Maria, soror Mosis, expectat euentum.*

*Auertit sic fata oculos; luctuque refugit  
Naupragium spectare suum, gnatique pericla.  
At soror expositi perstat seruare puella,  
Quos cursus habitura sui cunabula fratris*

*Nautica: nam septennis erat: iam callida sensu  
Supra annos, notat humanae ludibria viræ.*

*Merris Regina occurrit.*

*Forte sub occasum Solis stipata puellis  
Fluminea Merris repetebat balnea ripa;  
Gramineis ubi densa toris umbracula muscum  
Substernunt, breuibisque vadis carecta coronant  
Secessum, & liquidis transfluet glarea lymphis.*

*Hæserat ad biblos deuenctus flumine cortex  
Scirpeus, inductis splendebat fiscina ceris:  
Hærentem Regina videt, missaque liquentes  
Cymodoce in fluctus, corbem de gurgite tollit.  
Textilis ut patuit detraecto tegmine cymba,  
Vagiit, atque ipso vagitu blandior infans  
Eniuit, conchag<sub>3</sub> suā, ceu gemma, resulfit.  
Ambrosios pueri vultus, formaq<sub>3</sub> decorem,  
Fortunamque stupet miserans: Heu! paruulus, inquit,  
Hebræa miser est de stirpe! ô si mihi talem*

*Mosis elegantia.*

*In thalamis, Lucina, dares! Nunquamne labores  
Experiar miseranda tuos? an forte negasti  
Dulce mihi nomen, thalami sine germine, matris;  
Pignus ut hunc optare velim, quem cœlitus infert*

*Adoptatur à Regina sterilis.*

*In nostros fortuna sinus? Ergo auspice cœlo  
Sceptra geres, Cidamque puer: sublatus ab undis*

*Mosis nomen.*

*Iam Mosis mihi nomen habe; regnumque parentis*

*Merridos expecta: tibi sum quippe altera mater,  
Expositum qua te amne tuli. Simul oscula mille  
Libabat puer miserans. Gauisa puella  
Successu tanto soror adstitit: & Tibine, inquit,*

*Vis.*

*Vis, Regina, vocem, puerō quæ sedula nutrix  
Det plenos Hebræa sinus, ac fida ministret?  
Annuerat Merris: nutrix Hebræa vocatur.  
Ipsa parens infantis erat, cui nescia Merris  
Mandabat proprios partus; sua viscera magnâ  
Nutriri curâ, & magnâ mercede iubebat.*

*Hunc, inquit, mihi tolle sinu, maternâque solers,  
Ceu tuus iste foret fœtus, præbe ubera paruo.*

*Hoc fidei non parua tue sit pignore merces,  
Tortilis inclusis auro murænula gemmis.*

*Si tua quis veniat scrutatum tecta satelles,  
Dic, Meus est: Regina mihi Thermutis alendum  
Tradidit. Agnoscent regali ex munere prolem.*

*Dixerat appensa puerili pectore bullâ.*

*Læta parens sua fulta refert, sua viscera quondam.*

*In patrios redditura Lares: nam lacte relicto,*

*Desuit ut reptare puer, traductus in aulam.*

*Ingenio iam grandis erat: superauerat annos*

*Prodigo, & sacri Cycli decurrerat artes*

*Prima tenens, cursuque ipsos lassante magistros.*

*Quin etiam fama est puerum tum fortè triennem.*

*Merris adoptatum cum sisteret ipsa parenti*

*Augusta specie, gauisumque indole Regem.*

*Auspicium regni, puerō diadema Chenephrem.*

*Imposuisse comis, regno, & sibi fausta precantem;*

*Illum auersantem signum regale, sub ipsos*

*Proiectum calcasse pedes, ac torua tuentem.*

*Regales fugisse sinus. Diro omine Princeps*

*Palluit, & Vates ipsi non læta caneabant.*

*Excusat subitos pueri Regina timores.*

*Explorare iubent animos extempore Vates,*

*Ardentesque dari ferro mordente fauillas.*

*Arripuit puer oblatas in forcipe prunas,*

*Osculaque*

35  
Moses  
traditur  
matri nu-  
triendus.

36  
Moses in  
regiâ re-  
latus.

Regia  
pueri edu-  
catio.

Auguria  
de futura  
claritudi-  
ne.

37  
Tentatur  
eius pue-  
ritia ob-  
latis pru-  
nis arden-  
tibus.

## 76 MOYES VIATOR.

*Osculaque admotis impressit noxia labris*

*Insciis, & rationis inops, Vatimque timores*

*Absoluit, Regisque metus: fumantia fletu,*

*Multa gemens, lauat excussis carbonibus ora:*

*Hinc puero blaſa decrevit gratia lingua,*

*Sermonisque lepos balbo non integer ore:*

*38 Sed teretis lingua eloquium compensat abunde*

*Prudētia. Vis animi, mentisque vigor: prudentia Soles*

*Anteuolat, tam nata foro, quam Martia campo.*

*Aethiopum sensere acies, ductique triumpho*

*Bellum A Meroë usque Pharon deuictis urbibus hostes.*

*Aethiopi- Sed longa belli ambages: dilapsus ab aula*

*cum. Paulatim, Hebraos visebat sapè labores,*

*Si quam posset opem miseris afferre paratus;*

*Aut ipsi sperare Ducem, quem Fata crearant;*

*Dux po- Isacidū nam factus erat iam Ductor ab alto;*

*puli sui. Ductorēmque suos inter se ipse ferebat.*

*Act. 7.24. Nec dum animos, nec spem miseris in rebus habebant;*

*Et Ducis ante oculos tum forte Aegyptius Archon*

*Hebraea de stirpe virum pulsarat iniquo*

*Aegyptiū Verbere, cui Moses, verbis inuectus acerbis:*

*occidit, & Siccine te immeritam plagis incessere gentem?*

*sepelit. Sic fratres vexare meos? Dabis, impie, pœnas.*

*Sic pereat, quicunque istis tibi conscius ausis.*

*Hac ait, impactoque petens simul ilia pugno*

*Sternit humi, rumpitque graui latera impia calce,*

*Infossimque leui facinus grande abdit arena,*

*Quod non fama tegit. Cades vulgatur in aula:*

*Inuidiam iuueni suspecto audacia facti*

*A diecit: rediere mina, Vatimque timores.*

*Quæritur ad mortem; neque Regem gratia fletit*

*Fugit Moyses. Ulla prior; neque iam defendit adoptio noxam.*

*Iam popularis erat, spreto Thermutis honore.*

*Ergo*

Ergo fugâ quæsita salus : neque tempore ab illo  
Auditum , quas se in latebras , aut lustra tulisset.

Credidit extinctum Memphis secura pericli.

Sic tacuit totis octo fama inscia lustris :

Et pauci meminere senum. Mihi si qua fides est ,  
Et benè seruati durant in pectore vultus ,

Hic Moses : ille ipse fuit , quem flumine Merris  
Sustulit , & dubiis horrebat regia Fatis.

Hos habuit vultus , tales balbo ore loquelas :

Coniunctu comperta mihi hac vestigia longo :

Quem se cunque redux nunc tandem proferat oris.

At tibi , si prorsus vates non vanus Amyntor ,

Optime Rex , desiste animos opponere Fatis.

Contextamne vides seriem ? tōtne undique signa

Diuina connexa manu ? Defungere Fato

Clementer : patere ire Duce , quem sidera signant.

Hebraeos ad sacra suos sine patria ducat.

Nitimus incassum Fatorum auertere sortes.

His senior monitis Regem hortabatur Amyntor.

Agnosci-  
tur.

## LIBRI